







pag. 651; II.

1763

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO ET EL.  
SAX. HEREDE,

# LEGIS NATVRAE INDISPENSABILITATI TEM,

P R A E S I D E

M. HENRICO GOTTLIBIO  
SCHNEIDERO,

Halberst. Saxon.

*explicabit*

JOH. GODOFR. LESCHNERTUS,

Dahmens. Saxo.

A. D. II. Maii, c. 15 CCV.

---

WITTEBERGÆ,  
Literis SCHVLZIANIS, Acad. Typogr.

VIRIS,  
Nobilissimo, Summe & Plurimum Re-  
verendis, Amplissimis, Excellentissimis,  
Praecellentissimoque,

DNO. CHRISTIANO Röhrensee /  
Philos. Pract. Prof. Publ., qua orbis patet, celeberrimo, &  
Alumnorum Electoralium Ephoro  
gravissimo,

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO,  
S.S. Theolog. Doctori, ejusdemque Prof. Publ. Extraord.  
dudum meritissimo,

DN.M. JOH. CHRISTIANO BVCKIO,  
Verbi divinioris apud Torgenses Praeconi  
exquisitissimo,

DOMINIS, PATRONIS, PRAECEPTORIBVS,  
STVDIORVMQVE SVORVM AMPLIFI-  
CATORIBVS

Omni animi observantia & pietate colendis,  
sancteque; venerandis

Has primitias Academicas in grati animi tesseram  
sacras esse cupit,

Iisque sese eorum patrocinio ac favori  
commendat

JOHANNES GODOFREDVS LESCHNERTVS,  
Dahm. Saxo.



Q. D. B. V.

§. I.

Uandoquidem nostrum neminem fugit, quantum opere omniævo, argumentum hoc, de Indispensabilitate Legis Naturæ, cum veteres, tum recentiores etiam exercuerit Morum Doctores, ita, non inutilem omnino facturos esse existimamus operam, si vires ingenii, cum nunc commentari aliquid in nos suscepimus, in hoc potissimum genere periclitemur. Evidem materiae dignitas, & intricatae circa eam controversiae, ab arduo hoc negotio facilime nos deterrere possent, nihilo tamen minus, semel ingressam viam insistere, ac tentare quidquam, quam plane desistere malum us, certa spe freti, Benevolum Lectorem, humanitate potius, ac laude, quam acerbitate, labore hunc nostrum, prosecuturum. Quo vero perspicue, ac decenti quodam ordine, methodoque fiat, *Legem Natura cum respectu Dei, velut ejusdem Autoris, tum Hominum etiam, indispensabilem esse*, demonstrare sedulo annitemur. Fauxit Deus immortalis, ut omnia, in æternam nominis sui gloriam, proximi salutem, & nostrum denique emolumentum, quam felicissime cedant.

A 3

§. II

§. II. Sed priusquam rem ipsam aggrediamur, pauca admodum, prolixa, & Legis & Naturæ, utpote vel ubi vis obvia, vel nemini facile ignota evolutione vocum, omissa, dispensationis natura ac indole, quo eo felicius, sententia nostra explicari & intelligi queat, præmittemus.

§. III. Arcesit itaque originem, dispensationis vox, a frequentatio suo dispenso, quod descendit a primitivo pendo, proprie significante, rem in diversa pensare, & ad libram unicuique suum adjudicare, unde olim etiam apud Romanos ii, quibus non tam acceptæ expensæque pecuniae cura, quam nummos Dominorum suorum aliis scenori dare, conveniebat, Dispensatores dicebantur, ut videre est apud Suetonium in Vespasiano. Expugnatus a quadam, quasi amore sui deperiret cum productæ pro concubitus HS. quadraginta donasset: admonente Dispensatore, Quemadmodum summam rationibus vellet inferri, Vespasiano inquit, adamato Cap. 22. p. 166. & Quintilianus declamat. 353. Dispensatorem supra rationes positum esse ait. item Declamat. 345. Satis sit vobis o divites hoc, vestras dispensare fortunas, quod per dispensatores faceratis. Ideo, quod antiquis ipsis temporibus, sub initium U. C. cum nondum signato nummo, quem primum signasse Servium Regem, Plinius, Macrobius autem, ipsum Janum existimat, adhuc gravi ære uterentur, non tam numerari, quam ponderari pecunia conservari, ut partim ex ipso Sacro Codice, Gen. XXIII. v. 16. partim Varrone lib. IV. lingv. Latin. & Plinius Libr. XIII. c. 3. & lib. XXXIII. c. 3. constat. Quamobrem hodienum etiam, pendere pro solvere, & pendere poenam, proprie pro mulcta pecuniaria accipitur.

§. IV. Deinde dispensatio fiebat etiam, in rebus aliis domesticis, quando ii, qui rei familiari præerant, τὸ συτόμετρον, sive τὴν τροφὴν, h. e. necessaria, conservis suis

præ-



præbtere debebant. Comprobante hoc Zenone Veronensi,  
Sermonet ad Neophytes, Joseph promotus, ad meturam prorogat  
cunctis annoram. vid. Henrici Kipping. Antiquitat. Roman. lib. I.  
c. I. p. 561. Fabri Lexic. Nov. Edit. Atque hæc acceptio, ut  
probatis ac emendatae latinitatis Scriptoribus maxime  
usitata, vid. Cicer. Lib. XI. ad Attic. Epist. I. Cornel. Nepot. in Co-  
non. C. IV. Senec. lib. I. de benefic. C. X. Ita eadem etiam me-  
taphoricæ, Patribus imprimis propriæ locutioni, origi-  
nem dedit. Siquidem incarnationis mysterium, omneq;  
id, quod Christus assumta carne nostra, nostra causa egit,  
uno nomine ὄνοματά ab illis dici, atque Theologiæ sen-  
su arctiori sumtæ, contradistingui, palam est. Sic enim  
Basilius Ep. CXLI. a Spiritu S. præmuniri intelligentiam, ne  
τῇ Θεολογίᾳ προσέχοντες τῆς εἰκονομίας πατα Φρονόμων b.e. ne in  
Theologiam intenti, oeconomiam sive dispensationem contemna-  
mus. Et Cyrus Alex. Valde apposite, ad Sermonem de incarna-  
tione progeries, ac subinde transit a mera Theologia ad explican-  
dam Oeconomiam incarnationis, quam propter nos gesit Filius  
Dei, vid. Cyrrill. Alex. lib. I. in Johanne.

§. V. Diutius in amoenissimis his criticorum com-  
moraremur campis, nisi ipsa instituti nostri ratio & lege  
publica præfixus terminus, properare nos, ac ad rem pro-  
pius accedere, juberet. Itaque si vulgarem, & Philo-  
lophis hodiernis imprimis propriam dispensationis ac-  
ceptionem, attendamus, communis omnium Lexicogra-  
phorum suffragio, inter barbarorum potius fæces, quam  
Latinorum voces, est numeranda. Sic enim Budens re-  
ferente Martinio in Lexico. 5. Quod barbare dispensare latinis  
est legibus solvere, nempe quasi districtam inde partem pensare  
& largiri, concedere non exigere. Quicquid autem horum  
sit, facile ei usus, quippe quem penes arbitrium est, & vis

& norma loquendi, patrocinabitur. Quid enim solemnius quam ut voces cum ipsa temporum mutatione & suas mutant significaciones, easque vel au-geant mox, vel plane amittant. Quod cum ita sit, famosiori merito inhæremus notioni, qua hodie idem est, ac indulgenter, & præter officium concedere ali- quid, quod alias haud quaquam concedi deberet.

§. VI. Atque sic considerata varia vocis acceptio-  
ne cavendum nobis porro erit sedulo, ne ipsam dispen-  
tationem, cum reliquis Legis mutationum generibus  
confundamus, quod tamen a non indoctis sæpe vi-  
ris factum, deprehendas. Mutantur autem leges  
vel per irritationem sive annulationem, vel abro-  
gationem, vel derogationem, vel dispensationem,  
quibus alii adhuc Privilegium, æquitatem, absolutio-  
nem, datamque licentiam superaddunt. vid. *Velt-  
hemii* *Introduct.* in *Hugon. Grot.* de *J. B.* & *P.* lib. 1. c.  
1. §. 60. Not. 1. pag. 181. Rectene hoc fiat, an vero minus?  
jam nos non disputabimus, sed ordine saltem  
ea omnia, quo quanam in re cum illis conveniat vel  
disconveniat dispensatio, patescat, perlustrabimus.  
Ac annulare sive irritam reddi quidem dicimus legem,  
cum ii, a quibus perfecta legis obligatio dependet, eam  
approbare recusant. *Abrogare*, quod siebat olim  
rogando populum, num legem latam vellet antiquari,  
quando Legislator efficit, ut id, quod lex antea erat, simpli-  
citer Lex esse desinat. *Derogare*, cum lex ejusque obligatio,  
ex parte tollitur, ex parte vero salva manet. Dispensare  
autem, qvod brevissime, sed nervose admodum per re-  
laxationem legis, publica autoritate factam, in suo de-  
jurib. Majest. Tract. lib. 1. c. 7. §. 2. exprimit B. Zieg-  
lerus

lerus , est nec in totum , nec in tantum , sed saltem  
in certo quodam casu , removere ab hoc , vel illo sub-  
jecto , legis obligationem , reliquis autem circumstantiis  
omnibus quibus lex vel viget , vel alios obligat , manenti-  
bus salvis.

§. VII. Nec minus *privilegium* , & speciatim qui-  
dem id , quod contra jus , ( nam de eo quod præter seu ul-  
tra jus dicitur , jam confecta res est ) cum dispensatione  
quamvis alii aliter existiment , coincidit . Praeclare hanc  
in rem *Laymannus in Theolog. Moral. lib. I. tract. IV. c. 73. de Pri-  
vilegiis n. s. p. 97.* Altera est divisio *privilegii* , quod aliud  
sit præter jus , sive ut alii loqvuntur , ultra jus , aliud vero  
contra jus , cuius generis sunt multæ dispensationes in  
communi lege . Quamvis non omnino idem sit , *privi-  
legium contra jus & dispensatio injure* . Nam Monopo-  
lium v. g. *Privilegium quoddam est* , & tamen *dispensa-  
tio dici nequit* , quia per illud jus commune non relaxa-  
tur , sed potius restringitur . Deinde *dispensatio facta ad*  
*unum actum* , vel breve tempus v. g. ut *hodie carnis-  
vesci* , ruri laborare liceat , *privilegium propriæ non est* ,  
hoc enim magis constans esse debet , cum sit quasi lex pri-  
vata , & jus singulare sicut notavit *Salas Disputa. 20. f. 1. in fin.  
Svarez lib. 8. de LL. c. 2.* Ubi tamen non ita morosi sumus , ut  
dispensationem sensu saltem ampliori sumtam , quando-  
que *privilegium ambitu suo complecti negemus* , quin  
potius eo , *B. Carpzovium* , *B. Hornejum* aliasque , respexisse  
arbitremur , quod dispensationem per *privilegium* , vi cu-  
jus eximitur quis a principio , ut non obligetur , qui alias  
obligaretur , vel postmodum incerto casu liberatur ab ob-  
ligatione , qua coeteroqui tenebatur , descripserint . *Vid.  
Carpzovii Jurisprud. Ecclesiast. lib. 2. p. 7. f. 124. & 117. Hornejum  
lib. IV.*



*Tib. IV. c. 3. de Prudent. Legislat. p. 609. & quos ille citat, Richar-  
dum, Durandum, Herdeum, Gregorium de Valentia &c.*

§. VIII. Quin ipsa etiam *æquitas*, quamvis non le-  
vem convenientiae speciem, præfeterat, diversum tamen  
quid continet a Dispensatione, ut eo nomine suo quodam  
merito, censoriam *Hugonis Grotii* virgulam expertus sit,  
*Ferdinandus Vasquis* æquitatem & dispensationem pro  
iustitiamq[ue] habens. vid. *Hugon. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c.  
20. §. 27.* Nam quid æquitas aliud, quam attemporatio sal-  
tem legis universalis ad casus speciales, sive ut Princeps  
Philosophorum *Aristoteles*, lib. V. Eth. c. 14. eam describit,  
*correctio juris ex parte*, ubi ob universalitatem deficit. Jam ve-  
ro dispensatio non legem declarat, aut quatenus durior,  
temperat, sed casum saltem in quo dispensat, ejusmodi  
esse debere indicat, ut ante dispensationem a legis obliga-  
tione immunis non sit.

§. IX. *Absolutio* denique, dataque *licentia* in eo  
differunt, quod ista non legis, sed alterius obligationem  
relaxet, hæc vero, quia a superiori irrogatur, non tam  
efficit, ut aliquis lege solvatur, quam ut plane non obli-  
getur. Quorū eruditæ iterum *Laymannus c. 1. Tra-  
stat. IV. c. 22. n. 1. p. 88.* Tunc, inquiens, licentiam dans,  
non dispensat in lege, aut relaxat legem, sed affert condi-  
tionem, qua posita, lex non obligat, licet ea sublata ob-  
ligaret.

§. X. His ita præsuppositis, & spuriis ac ambiguis  
acceptationibus remotis, nunc demum tutius ad conside-  
rationem indispersabilitatis Legis Naturæ, cum respectu  
Dei, tum Hominum, progredi nobis licebit.

§. XI. Quod igitur Deum concernit, facile damus,  
eundem, pro immensa sua qua gaudet virtute, in nihilum  
redigere, in universum omnia, imo ipsam naturam hu-  
ma-

manam, & quicquid quoque modo ei impresserit, de-  
struere liberrime posse. Nihilominus tamen cum Deus,  
Deus sit ordinis, ordinemque etiam in decretis suis te-  
neat, non temeraria quædam omnium horarum mutatio  
tribuenda ei erit. Quod autem fieret, si dispensare eum  
posse diceremus, in ea lege, quae ex ipsa lege, quam vo-  
cant æterna, dimanat, ipsiusque sanctitatis, & justitiae  
divinae expressio quædam, in hominum animis est ac  
imago. Unde etiam sœpen numero radius ac participatio  
quædam æternæ legis, imo ipsa æterna lex audit, vid. *Hor-*  
*neum c. l. p. 609.* Sic enim non modo Deus seipsum nega-  
ret, sed suam sanctitatem & justitiam, velut *alexandrov* &  
normam, ut *B. Augustinus lib. II. de ord. cap. 8.* & *lib. 38. c. 33.*  
loquitur, hujus legis, destrueret simul, ac everteret. Quo  
accedit, quod actuum humanorum, circa quos lex hæc  
versatur, ea sit indoles, ut in sua essentia, ac natura, mo-  
rales, h. e. vel boni vel mali, honesti vel turpes sint.  
Jam vero si Deus in his secundum infinitam suam po-  
tentiam dispensaret, efficeret, ut ejusmodi actus, simul  
& bonus & malus, honestus & turpis esset; bonus foret  
& honestus, quia præcipiteretur a Deo qui nil nisi quod bo-  
num & sanctum, præcipere potest. Malus vero & tur-  
pis, quia in se suaque natura rationi humanæ inconve-  
niens seu illicitus esset, id quod *ατοπον*, & contra ipsa pri-  
ma sciendi principia, præclare *Aristoteles lib. II. Eth. ad Ni-*  
*comach. c. 6.* Sunt quædam, quæ statim vel ipso nomine  
cum pravitate implicantur, ut malevolentia, impudentia,  
invidia, & item actiones ut adulterium, furtum, ho-  
micideum. Omnia enim hæc & hujusmodi ita appellan-  
tur, quia non excessus ipsorum aut defectus, sed ipsa mala  
sunt, ut nullo modo possit quisquam in ipsis rebus agere

B

sed



sed peccare semper sit necesse, neque bene & non benes gerat, dum quatenus, & quando, & quomodo oportet adulterium committit, sed dum absolute unum quodque horum facit, continuo peccet.

§. XII. Neque vero existimandum, Omnipotentiam divinam ea ratione circumscribi. Notum enim est ac perspectum, ejus quidem objectum esse, possibile, sed tale, quod in se nullam repugnantiam & in agente nullam imperfectionem includit. *vid. B. Donati Institutiones Pneumat. p. 237. §. 24. seq.* Unde absurdum non erit, si dicamus excipienda quædam esse, propter rerum ipsarum ineptitudinem ad existendum, qualia scilicet nec sunt, nec esse possunt, sed tantum dicuntur. Pulchra admodum sunt quæ in hanc rem afferuntur a *B. D. Wilhelmo Lysero celeberrimo quondam Jcto in dissertat. de Immutabilitate & Mutabilitate Juris §. X.* Quod Deus talia non posit, inquiens, omnipotentiæ ejus nihil quicquam decedit magis, quam oculis nostris, quod non possunt videre rem invisibilem. Enimvero ineptitudo ista ad existendum, in impossibilib⁹ ipsis datur, tanquam in objecto, quæ si apta forent, immutabilia esse desinerent. Nullus vero in virtute divina defectus est, cum ad objectum ejus, impossibilia illa non habentia rationem factibilitatis, non magis pertinent, quam invisibilia ad objectum visus, cui nec objiciuntur, nec per naturam suam objici possunt. Quocum facit *Hugo Grotius lib. I. de J. B. & P. c. 1. §. 10.* Quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, sensum autem, qui rem exprimat, nullum habent, sed sibi ipsis repugnant. Sicut ergo, ut bis duo non sint quatuor, nec a Deo quidem effici potest, ita nec hoc quidem, ut quod intrinseca ratione malum est, malum non sit. Et *Rachelius in Dissertat. de Jure Natur. §. 48.* Nec ipse Deus di-

dispensatione in his uti vult aut potest. Sic enim saltem interdum & certis casibus Deus sui juris, imo suæ justitiae effectum impediret, quod est absurdum, & contradictionem quandam implicat, dicere Deum esse, & tamen ejus attributum esse, saltem quibusdam casibus cessare & exspirare, quod perinde est, ac si dicas, Deum istis casibus, Deum non esse. Confer. Rudrauffi. Philosoph. Theolog. Exhibition. XXX. p. 486. seq. Meisneri Tractat. de legibus p. 210. Ejusd. Philosoph. Sibr. Part. III. p. 549. in primis Excellentissimi DN. Robrensei, Patroni ac Preceptoris nostri, omni pietatis cultu aeternum prosequendi, Prudent. Moral. part. III. c. II. p. 232.

XIII. Quamvis igitur vel sua ipsis luce radiet, haec nostra assertio, non defuere tamen maleferiati homines, quos dementia & stultitia, eousque abripuit, ut rem tam manifestam, impugnare non erubuerint. Siquidem alii, in omnibus Legis Naturæ & decalogi præceptis, alii, quibus id assertum nimis durum videtur, in iis tantum, quæ tabulam respiciunt secundam, dispensare posse Deum, arbitrantur. His duobus potissimum moti argumentis: Quod pro arbitrio adstruere & destruere, figere & refigere leges possit nomotheta, quid ni etiam circa easdem dispensare? Quin? quod alterum, in Scripturis S. ejusmodi exempla, ut Abrahami, Israelitarum, aliorumque, passim, quo Deus actu dispensasset, reperiri. Quo quidem primum illud argumentum, dicente Venerando nostro Preceptor, Excellentissimo DN. Robrenso in Prudent. Moral. c. I. p. 233. eousque extensum fuit a Gvilielmo Occamo, in 2. Sentent. distinct. 19. ad 3. ejusque Sectatoribus, Petro Aliaco, in 1. qv. 14. Andrea de Castro Novo, Johann. Carlerio de Gerson & Jacob. Almaino Gall. aliisque, ut hominem non modo absolvi a præcepto amoris divini, sed & Deum odium sui, præcipere posse,

eoque casu odium DEI fore meritorum, plus quam  
blaspheme docuerint. Quibus ex antiquioribus adhuc  
accedunt, *Ferdinandus Vasquius, i. illustr. Controversi. c. 27. Sua-  
refigius 2. de leg. c. XXV.* diserte sic scribens: Posse Deum li-  
centiam homini dare per universam vitam, imo per to-  
tam æternitatem, nullum bonum circa ipsum Deum exer-  
cere, neque cultum aliquem directum & proximum ex-  
hibere. Et denique illud par nobile Fratrum *Maccovius &  
Szydlovius*, quorum opiniones nobis recenset, non ineruditus  
*Moses Amyraldus in specimine Animadversion. pref. p. 95.*  
In Belgio docuere nonnulli Theologi, iisque non incele-  
bres, vitium à virtute non differre natura sua, quicquid  
interest discriminis, id omne esse ex liberrima Dei volun-  
tate, &c. Num portentosæ huic opinioni, error iste per-  
vulgatus de absoluto decreto, originem dederit, ut *B.D. Al-  
berti in Compend. J. N. p. 1. c. 3. p. 95.* & in Specim. controv. p. 4.  
existimat, jam non perquiremus, contenti, si argumenta ad-  
veriariorum in lege potius positiva, quam naturali, valere,  
demonstraverimus. Nam sicuti hæc circa id docente  
Philosopho, ὁ οὐ δέ τις μὲν γένεν διαφέρει θτως η ἀλλως quod  
ab initio nihil refert, an sic vel aliter fiat, i. e. circa actus, per  
se & sua natura neque honestos, neque turpes. Ita etiam  
nihil refert, an sic vel aliter fiat, cum neutrum opposito-  
rum, sua natura sit illicitum. Quod tamen, non æque sta-  
tim procedit in Lege Naturæ, utpote quæ, πάνταχθεν αὐτὴν  
ἐχει δύναμιν, ναὶ δι τῷ δοκεῖν η μη, i. e. ubique (*in se*) eandem  
vim habet & non quod (*hunc vel illi*) ita videatur, sive quæ  
ejusmodi actus pro objecto agnoscit, quorum interna ac  
objectiva moralitas, non a nudo & mero Legislatoris ar-  
bitrio ac voluntate dependet. *vid. aristot. lib. V. Nicomach. c. 7.*  
Nec propterea Deus humano legislatore est inferior, aut  
virtus

virtus ejus infinita imminuitur, quod unicum fere semper Sectariorum omnium perfugium est, ut præclare demonstravit *Magnificus DN. D. Neumannus Patronus, Hospes ac Preceptor noster* ad cineres usque devenerandus, in Programmate in promotionem Excellentissimi DN. D. Wernstorfi, itidem Fautoris ac Preceptoris nostri, summopere estimandi, confessio. Siquidem ambabus veluti manibus, jus condendi legem, non vero bonam ac justam ab æternalege ortam naturalem destruendi, Deo concedimus, quoniam alias contra se, & bonitatem & justitiam suam faceret. Et licet voluntas divina in se & absolute, non sit determinata, ut vellet aliquid extra se, aut ab homine agi vel omitti, est tamen determinata, sub conditione, ut si velit aliquid ab homine fieri, vel non fieri, vel it id ipsum bene, sancte, & juste, i. e. naturæ suæ ac attributis conformiter fieri. vid. Rudrauff. c. l. exhibit XXVI. §. 37. sed v. p. 406. Veltbemitt. Dissertat. prior de Qv. Num actus dentur per se honesti, aut turpes quique adeo in sua natura sunt debiti, & illiciti, §. XX. XXI. &c.

§. XIV. Quæ denique ex S. Codice, nobis objiciunt exempla adversarii, ad ea ab aliis alibi prolixè satis, ac ordine fuit responsum. vid. Rudrauff. c. l. §. 158. p. 486. Veltbemii Introduct. in Hug. Grot. Qu. III. p. 230. seq. Ofiandrum in Not. ad Hug. Grot. p. 287. aliosque multos. Ne nos vero sicco pede plane ea hic præterisse videamur, vel unico hoc observato, illa omnia facile in fumum abire existimamus. Quod nimur, quamvis formalem ac internam Legis Naturæ rationem, Deus nullo modo immutare, externam tamen mutare h. e. actum quendam quem aliis Lex Naturæ præcepit vel yetuit ex numero objectorum ejusdem, eximere possit. Sicut hoc præclare & pluribus explicat Thomas p. 1, Qu. 19. & Hugo Grot. hunc in modum differens:

serens. Fit interdum ut in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cum revera non jus Naturæ mutatur, quod immutabile est, sed res, de qua jus Naturæ constituit, mutationem recipiat, e. g. Si creditor, quod ei debeo, acceptum ferat, jam solvere non teneor: Non quia jus naturæ desit, sed quia quod debebam, deberi desiit. Et paucis interjectis: Ita si quem Deus occidi præcipiat, si res alicuius afferri, non licitum fiet homicidium, aut furtum, quæ voices vitium in volvunt, sed non erit homicidium aut furtū quod vitæ & rerum Domino fit. H. G. I. c. §. X. n. 6. Imo vero absurdum videtur esse, & contradictorium, certum nobis finem a natura præscriptum, media tamen sive leges istuc nos deducentes posse mutari.

S. XV. Adstructa ita indispensabilitate Legis Naturæ, respectu Dei, reliquum erit ut pedem ad alteram partem, an nimirum lex naturæ respectu hominum dispensabilis sit? promoveamus. Atque hic nobis facile consentientes habebimus omnes. Ecquid enim juris, vel potestatis, in legem hanc habet homo? Quivis quidem, qui legem tulit, eam relaxare valet, quin etiam in legibus antecessorum, si eadem qua illi potestate gaudet, dispensare. At enim vero, L. N., non ab homine lata, ergo etiam a nemine sive imperante, sive parente, imo ne universo quidem genere humano, vel tantillum, etiamsi gigantea protertia contra Deum ferociens conspiret, mutari potest. Voce fere divina hac in re lib. VI. divin. Institut. c. g. Lactantius Ciceronem lib. III. de Republ. loqui memorat. Est lex regula ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege pos-

possimus. Neque est quærendus explanator, aut interpres ejus alius: Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia posthac. Sed & omnes gentes & omni tempore, una lex & sempiterna & immortalis continebit: unusq; erit communis quasi magister & imperator omnium Deus ille, Legis hujus inventor, disceptator, Lator: Cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adsperrabitur: atque hoc ipsis licet maximas penas, etiam cetera suppicia, quæ putantur, effugerint. Et licet contrarium nonnunquam affectent, ii, qui Dei personam in his terris gerunt; veluti quondam Regi Cambysi sciscitanti, an sibi liceret germanum sororem in matrimonium sumere, responderunt judices, vel potius adulatores, nullam quidem legem de conjugio cum sorore contrahendo. apud Persas se invenire, sed aliam tamen esse quod Regi Persarum liceat, quicquid libeat. *Horodotus lib. III. vere*  
tamen affectant, quoniam non nisi infeliciter, quod intendunt assequuntur, uti hoc dilucidius multis exemplis posset demonstrari si res ipsa & instituti ratio paterentur. Sed quorundam tam multa? Nos ipsis in universum omnes, Legis hujus dictamini subsumus, qui vero inferiores, in <sup>2</sup>, quod supra se positum, mutare quidquam aut relaxare possunt?  
Ut adeo non invenuste cecinerit in *Tyranno Oedipo Sophocles*,

*Non id valere credidi, iussas tuos,*

*Vt jura non conscripta, sed nutu DEUM*

*Concessa sempiterna, Mortalis status,*

*Violare possis.*

Quibus tamen eorum, qui, τὸ κύπεον in Republ. tenent, non ita circumscriptam volumus potestatem ac autoritatem, ut vel plane nihil in L. N. possint. Non enim nos fugit,  
eos

eos, cum novam obligationem inducere, vel si mavis pri-  
 orem obligationem augere, tum etiam obligationem ci-  
 vilem L. N. detrahere, h. e. in civili Societate impune id,  
 quod L. N. alias vetuisset, permittere, imo extrinsecus, &  
 quo ad accidentalia, immutare posse. vid *Illiſſer. Conringii*  
*Dissertat. de Majestatis Civilis Autoritate & officio circa leges §.*  
*XV. XVI. seq.* Quoniam vero hæc, ipsam substantiam le-  
 gis, quæ potissimum jam in controversiam venit, non at-  
 tinguunt, ideo etiam sententiae nostræ qua Legem Naturæ  
 respectu hominum, indispensabilem esse affirmavimus, vel  
 parum obesse possunt.

§. XVI. Atque hæc sunt, quæ modo circa argu-  
 mentum hoc, in midium afferre voluimus, si non omni  
 ex parte sufficienter, ac digne satis fuerint elaborata, id  
 ipsum non tam Benevolus Lector industriæ nostræ, quam  
 præscriptis, ab amplissimo Philosophorum ordine, an-  
 gustis chartarum spatiis, tribuet. Cœterum pro vi-  
 ribus largiter nobis concessis, summa animi reverentia,  
 gratias Deo agimus decentes, & ut studiis nostris, in lau-  
 dem & gloriam suam unice directis, cœlitus prospera-  
 cuncta felicesque porro successus, aspirare velit, devote  
 precamur. Rivulos nostros, gravi juxta ac pio illo Au-  
 gustini dicto, claudentes. Quisquis ea legit, pergit no-  
 biscum, ubi pariter hæsitat, quærat nobiscum, ubi  
 errorem suum cognoscit, redeat ad nos, ubi  
 nostrum, revocet nos. Aug. lib. I.

*de Trin. c. 5.*

MONΩ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.



99 A 6912


6078

VD 17

Petrakova

5b.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13



16  
XVI.

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO ET EL.

SAX. HEREDE,

LEGIS NATVRAE  
INDISPENSABILITATI  
TEM,

P R A E S I D E

M. HENRICO GOTTLIBIO  
SCHNEIDERO,

Halberst. Saxon.

explicabit

JOH. GODOFR. LESCHNERT US,

Dahmens. Saxo.

A. D. II. Maji, cib. Is CCV.

WITTEBERGÆ,

Literis SCHVLZIANIS, Acad. Typogr.

JOHANNES GODOFREDUS LESCHNERTUS  
Dipm. Saxon.